

Glochidibus hispida, foliis dentatis, floribus umbellato - cymosis, pappo sessili.

Nescio ubi crescat. Vidi in herbario Wulfenii in quo plures inveni plantas non satis cognitatas.

Radix perennis. Tota planta aspersa setis apice recurvato - furcatis, hinc aspera. Caulis simplex erectus subangulatus. Folia subsagittata sinuato - dentata. Flores subumbellato - cymosi in pedunculis rigidis. Calyx asper, foliolis exterioribus minoribus saepius reflexis, interiora erecta simplici serie. Pappus candidus mollis plumosus sessilis, semina transverse striata rugosa.

Structura calycis, hac in familia maximi momenti, plantam sejungit a Scorzonera et Soncho etc Pappus plumosus a Crepide, Lactuca etc. Stipitis pappi absentia ut nota minoris dignitatis, et in aliis speciebus observatur.

8. *Scorzonera julia* mihi.

Scorzonera hirsuta herb. Wulfenii.

Crescit in foro Julio circa St. Daniel, Villanova.

Gaule uniflora basi folioso, foliis linearibus nervosis basi dilatatis pilosis, seminibus glabris, pappo fragili lurido.

Radix perennis. Caulis pedalis striatus superne aphyllus. Folia anguste linearia acuminata erecta caule breviora. Calyx villosus, squamis inferioribus majoribus latioribus. Corollae

flavae subtus purpurascentes. Pappus flavescens rigidulus breviter plumosus.

9. *Apargia hyoseroides* mihi.

Hyoseris turaxacoides Wulfen.

In Belgia legit Wulfen.

Scapo unifloro filiformi glabro, calyce octophyllo basi aucto glabriusculo foliis runcinatis hirtis, pilis simplicibus furcatisque, seminibus omnibus pappo sessili plumoso coronatis.

Fors Thrinaciae hirtae var. Semina substriata fine attenuato tuberculato - denticulata. Thalamus nudus.

10. *Crepis integrifolia* mihi.

Floruit in nostro horto. Nescio unde.

Caulis ramoso sulcato folioso corymboso, ramis supra flores centrales praecoces elatis, foliis integris et integerrimis glabris lanceolatis sessilibus, calycibus pubescentibus: phyllis accessoriis filiformibus, pappo sessili.

Rami foliosi supra flores caulis elati corymbosi. Foliis linearibus. Corolla fere ut in *Hieracio Auricula* sed non hispidus. Folia inferiora lanceolata, superiora angustiora semi-amplexicaulia nec sagittata nec dentata. Pedunculi sulcati villosi non squamulosi.

11. *Coreopsis fruticosa* mihi.

Planta in nostrum hortum nomine *Ivae frutescentis* inducta, ni fallor e Vienna allata. Patria ignota.